



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

II. Vtrùm contritio, seu Pœnitentia perfecta delet omnem reatum pœnæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

supernaturale, qui tamen habent potentiam remotam ad illam: quia si consentirent motibus, quæ habent ad aliquem actum bonum naturale, & quem moraliter possunt elicere; Deus daret illis motiva proportionata ad actum pœnitentiæ supernaturalem. Sicut etiam infidelibus daret lumen ad amplectendam fidem supernaturalem, si observarent præcepta naturalia, quæ lumine naturali cognoscunt.

39.
Solutio: ut
arguitur.

Denique ex his, facile explicamus fundamenta supra adducta pro utraque sententia. Nam testimonia omnia, quæ probant, posse hominem semper in hac vita converti, possunt partim intelligi de potentia vel morali, vel physica, quam non negamus, partim de potentia remota, & mediata, quatenus possunt proximè aliquid facere, quod si fecerint, dabitur illis potentia moralis proxima ad conversionem, & pœnitentiam. Nec est de ratione viatoris, quod pro singulis instantibus, aut partibus viæ habeat potentiam moralem ad pœnitentiam, vel conversionem: satis enim est, quod aliquando illam habeat, ut constat in Angelis, qui non habuerunt eiusmodi potentiam moralem pro singulis partibus morulae, qua duravit eorum via: atque etiam in homine, qui dum dormit, vel habet alia impedimenta, non habet talem potentiam: quod si dixeris, pro tunc esse viatorem formaliter, sed materialiter: idem dici poterit de illo, qui non haberet iam potentiam moralem ad agendam pœnitentiam, illum non esse iam viatorem formaliter, & completè, sed quoad illud esse similem damnatis, licet quoad aliquid aliud possit dici viator & augere demeritum, sicut augebant Angeli peccatores demeritum suum toto tempore illius morulae, antequam essent in termino damnationis. Damus tamè aliquid plus in homine, quod scilicet, dum habet advertentiam plenam ad motiva pœnitentiæ, habeat potentiam etiam moralem saltem mediatam ad pœnitentiam, ratione cuius dici potest viator formaliter etiam quoad negotium suæ conversionis.

40.

Argumenta etiam, quæ adducta sunt pro secunda sententia, facile solvuntur. Ad primum enim loca illa, & testimonia intelligi possunt partim de carentia auxilij efficacis ad conversionem, partim de impotentia morali proxima, ratione cuius dicuntur aliqui non posse pœnitere, etiam si velint; quod intelligi debet de voluntate inefficaci & velleitate, qua vellent pœnitere, non de voluntate absoluta, hanc enim si haberent, proculdubio pœniterent. Ad secundum fatemur, non repugnare cū statu viatoris illam impotentiam moralem pro aliquo tempore, non tamen sequitur, quod de facto detur. Voluit enim Deus, ut iustificaretur magis eius causa, & vinceret, cū iudicaret, quod homini facienti quod in se est moraliter, non denegetur potestas ad alia. Quamvis autem Angelus derelictus fuerit aliquo tempore absque potestate morali ad pœnitentiam: dum adhuc erat viator: homo tamen qui ex natura sua flexibilis, & mutabilis est, alia ratione gubernandus erat, ut sicut de facto post peccatum pœnitet, quod nullus Angelus fecit, ita semper posset post peccatum pœnitere, quando de obligatione pœnitendi cogitaret. Quando autem non cogitat, non habet potentiam moralem, neque etiam physicam completam; Tunc enim neque peccare potest circa eiusmodi obligationem: quando verò potest moraliter peccare, voluit Deus quod habeat potentiam etiam moralem saltem mediatam ad oppositum, ut nullo modo Deo etiam apparenter imputetur actualis culpa quasi ex defectu virium, & potestatis ad resistendum lapsus mortalis proveniret. Denique ad tertium, & ad historias adductas

41.

42.

dici potest, illas personas, vel habuisse adhuc potestatem moralem ad aliquid, quod si fecissent, dedisset Deus potestatem etiam moralem ad pœnitentiam, vel certè tunc non peccasse moraliter adhuc ob impœnitentiam, quia propter summam animi perturbationem, & anxietatem non poterant iam perfectè attendere ad obligationem pœnitendi, imò apprehendebant illud ut sibi possibile: quare licet antea peccassent peccato etiam impœnitentia, tunc tamen magis patiebantur pœnā sui peccati Deo ita disponente ad correctionem & instructionem nostram, atque ideo quoad illud iam erant quasi extra viam, cū ob defectum attentionis, & considerationis non possent amplius in hac vita pœnitere, sicut nec phrenetici, aut qui lethargum patitur, pœnitere amplius possunt.

SECTIO II.

Utrum contritio, seu pœnitentia perfecta deleat omnem reatum pœnæ?

Non est quæstio nunc, an contritio deleat formaliter, an solum dispositivè reatum pœnæ: sed solum, an aliquo modo deleat, ita ut homo iustificatus non maneat debitor vilius pœnæ æternæ, aut temporalis. Unde neque etiam querimus nunc, an reatus pœnæ tollatur de condigno, vel solum de cōgruo per contritionem, sed solum, an de facto tollatur, posita contritione, quomodocumque id fiat. Quoniam verò hæc controuersia tota est cum hæreticis nostri temporis, adversus quos nostri Controuersitæ eam optimè, & late tractarunt, nos breviter trademus doctrinam Catholicam, examinantem nonnulla alia, quæ inter Theologos Scholasticos sunt magis controuersa.

Est ergo celebris hæreticorum error, qui, ut pœnitentiæ opera, & carnis afflictiones de medio tollant, dicunt, in homine iustificato simul cum culpa auferri totum reatum pœnæ, atque adeo non esse necessaria alia opera ad solvendum, vel satisfaciendum pro reatu pœnæ, quia iuxta doctrinam Pauli ad Ro. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu.*

Adversus hunc errorem late disputant Doctores Catholici: videntur Cardan. Bellarminus lib. 4. de pœnitentia cap. 4. & seq. Suarez in præfati disp. 10. sect. 3. Valq. q. 64. art. 1. dub. 1. & 2. Catholica veritas concedit quidem, posse aliquando contingere, ut remissa culpa, remittatur simul tota pœnæ, prout fit in baptismo, atque etiam aliquando in sacramentis pœnitentiæ, vel extra illud, quando contritio, vel dispositio tanta est, ut delere possit tatum pœnæ reatum. Concedit etiam semper remissa culpa mortali remitti reatum pœnæ æternæ: addit tamen, non semper extra baptismum vel martyrium remitti simul cum culpa totum reatum pœnæ, sed remanere plerumque aliquam pœnam solvendam, pro qua possit homo per opera satisfactoria solvere, vel aliis per indulgentias vel suffragia, aut aliter se liberare. Et quidem quod reatus pœnæ æternæ simul cum culpa auferatur, traditur expressè in Tridentino sess. 6. c. 14. & constat apertè: quia cū homo iustus habeat gratiam sanctificantem, per quam fit formaliter amicus, & filius adoptivus Dei, eo ipso habet ius ad hæreditatem, & beatitudinem æternam, atque adeo habet ius ad hoc, ut non puniatur in æternum, cū beatitudo nō possit esse simul cum summa miseria damnationis æternæ. An verò posset de potentia absoluta homo iustificari per gratiam, & manere adhuc cum reatu pœnæ æternæ, dicemus postea.

Portò,

45. Potest non semper auferri totum reatum pœnæ simul cum culpa, habetur expressè in eodem Tridentino loco citato, & *sess. 14. cap. 8. & Can. 12.* Et colligitur ex Scriptura Sacra, in qua post culpam remissam, Deus saepe punire dicitur aliquos pro peccato præterito: Numer. 10. Postquam remissum fuit Moy-
 46. si, & Aaron peccatum incredulitatis, adhuc imposita fuit illis pœna, ne intrarent terram promissionis. Quæ etiam pœna c. 14. imposita fuit omnibus pro alio quodam peccato, postquàm dixerat Deus, dimissum esse addit enim, *attamen omnes homines, qui ren-
 47. tauerunt me non videbunt terram, pro qua iuravi patri-
 48. bus eorum.* Item 1. Reg. 13. Postquam Nathan dixit ad David: *Dominus quoque transiit peccatum tuum à te,* statim addidit pœnam, quam pati debebat pro illo peccato. Patrum loca innumera congerunt prædicti Auctores, & Canisius in Catechismo de Sa-
 49. cramento Penitentia, c. 7. & 8.

Probat etiam ex antiquissimo Ecclesiæ vsu im-
 ponendi pœnitentias pro peccatis, quod ex Augusti-
 no, & Conciliis antiquis probat Vasquez loco citato, n. 7. Denique hoc ipsum clarè colligitur ex alio du-
 plici dogmate nostræ fidei, scilicet ex purgatorio, & suffragiis: si enim animæ, quæ ex hac vita discedunt in Dei gratia, adhuc debent in purgatorio soluere pœnam pro peccatis, non ergo dimittitur tota pœ-
 na simul culpa nec obstat debitum pœnæ, vt dici possit, nihil damnationis manere in illis animabus iustis. Similiter, si iuari possunt fidelium suffragiis, ieiuniis, & elemosynis, ergo habent debitum soluendum, pro quo alij soluere possint, & ita eas iu-
 vare. Responsa quædam friuola hæreticorum ad prædicta Scripturæ loca, bene refelluntur à prædictis Auctoribus, & apud Coninch in præfati disp. 1. dub. 1. Omitto rationem congruentiæ, quam asserit S. Thom. hac q. 86. art. 1. quæ explicare conatur Sua-
 rez disp. 1. sect. 3. num. 16. Sed difficilis est, & eam im-
 pugnat Vasquez infra quest. 94. art. 1. dub. 1.

Obiiciunt primò, in scriptura promitti omnimo-
 dam remissionem peccati omnibus habentibus ve-
 ram penitentiam. Ezech. 18. *Si impius egerit peni-
 tentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & cu-
 stodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & in-
 iustitiam, vita viuet, & non morietur omni iniquita-
 tem eius quæ operatus est, non recordabor, & cap. 33. Impietas impij non nocet ei in quacunque die conuer-
 sus fuerit ab impietate sua, & paulò post omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei. Ad Rom. 8. Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.*

Respondet in iis locis esse sermonem solum de morte spiritali, quam asserit peccatum, seu de caren-
 tia vitæ spiritualis per gratiam, nam c. illo 18. expres-
 se promittitur vita, non verò immunitas totius pœ-
 næ, & cap. 33. præmiserat: *Vitæ ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuerteretur impius à via sua, & viuat.* Conuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini Domus Israel? Et ad hanc vitam sub-
 dit, quod non nocet peccatum præteritum post penitentiam: & in hoc etiam sensu subdit vers. 16. non imputanda amplius peccata: præmiserat enim: *vita viuet, & non morietur.* Et statim subdit: *omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei:* scilicet, ad mortem. Denique Paulus non loquitur de debito pœnæ, sed de macula, & culpa, quæ reddit hominem odibilem, & dignum damnatione: animæ enim, quæ in purgatorio puniuntur, non dicuntur animæ damnatæ, sed potius esse in statu salutis, licet habeant aliquod debitum pœnæ soluendæ.

Secundò opponunt, quia Christus, illis, quibus dum erat in hac vita remittebat peccata, nullam penitentiam legitur iniunxisse.

Respondet in primis nec etiam Christus prohi-
 P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

buit, ne opera pœnitentiæ exercerent, imò id lauda-
 nit, & approbavit in Zachæo, qui post conuersio-
 nem suam proposuit dare dimidiam bonorum par-
 tem in eleemosynam, & reddere quadruplum, si aliquem defraudasset; *Lucæ 14.* Aliquando etiam il-
 lis, quos sanabat in corpore, quos etiam interius in anima creditur sanasse, imponebat aliqua pietatis opera exsequenda, vt leproso *Marci 1.* à lepra iam mundato iniunxit, vt irer ad Principem Sacerdotum, & offerret pro emundatione munus, & c. homini à Dæmone liberato præcepit, vt rediret domum, & prædicaret suis mirabilia Dei. Aliquando verò nihil iniungebat, quia vel sciebat, ipsos ex se satisfactionis opera exhibituros, vel fortè non indigere propter contritionis perfectionem, vt in Magdalena: vel denique, quia ipse vt summus Pontifex liberaliter indulgebat remissionem pœnæ: vt cumque sit non reuocauit vnquam quod per Prophetam dictum fue-
 rat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.*

Tertiò opponuntur, quia Christus pro nobis satis-
 fecit, cuius satisfactio cum sit infiniti valoris non indiget nostra, vt abunde solvatur pro toto debito. Respondeo, hoc argumentum tollere etiam de me-
 dio nostra merita, & necessitatem bonorum ope-
 rum, quia merita Christi, Cùm sint valoris infiniti, sufficient ad augmentum gratiæ nobis promerendum, imò neque Sacramenta requirerentur ob eandem rationem, sed sufficient sola merita Christi: Patemur ergo, merita, & satisfactionem Christi ex se habere valorem infinitum: Voluit tamen ipse Christus ob iustissimas causas ne nobis applicaretur ille valor, nisi per tales causas, v.g. per Sacramenta per indulgentias, &c. Voluit etiam, vt nos mereremur, & satisfaceremus per gratiam ab ipso Christo nobis communicatam: Voluit denique, vt non communicaretur ille valor suæ satisfactionis, nisi in tali, vel tali mensura ab ipso designata, atque adeo non ad omnes effectus, quos attentà vi-
 tue suorum meritum, & satisfactionum causare potuissent.

Occasione tamen huius obiectionis, aliqui Do-
 ctiores Catholici dicunt, satisfactionem, & merita Christi ita nobis applicari per satisfactiones nostras, vt nostris operibus, quæ de se satis non erant coram Deo, Christi Passio valorem tribuat, & nostra satis-
 factio coniuncta satisfactioni Christi ob eiusdem Christi gratiam acceptetur à Deo. Ita videtur senti-
 re Castro de hæresibus verbo Penitentia, & inclinare videtur Ledesma, 1. part. 4. q. 1. art. 1. dub. 3.

P. Vasquez in præfati dicto art. dub. 1. n. 11. acriter inuehitur in hunc dicendi modum, quia hoc ef-
 fer negare verum valorem, & condignitatem in no-
 stris operibus, quem si in se non habet, non possunt ex Dei acceptatione habere. Quare Christus prome-
 ruit quidem nobis auxilium gratiæ præuenientis, & cooperantis, & subsequenter, non verò meruit, quod opera in gratia facta acceptentur à Deo ad meritum gloriæ: vel ad satisfactionem pro pœna temporali: hoc enim ex se habet absque nouo favore per Christum, alioquin nimis deprimeretur valor bonorum operum, quod latè probauit idem Vasquez 1. 2. disp. 2. 14. & 22. & 1. tom. in 2. part. disp. 2.

Ego mediâ via procedo: Existimo enim contra
 Castrum, bona opera in gratia facta ex seipsis habere valorem, & condignitatem, seu equalitatem ad satisfactionem pro pœna temporali, neque accipere hanc condignitatem, & valorem à meritis, vel satis-
 factione Christi formaliter, sed efficienter, quatenus ob Christi passionem datur gratia nobis ad bene ope-
 randum. Addo tamen contra P. Vasquez, eadem bona opera acceptari à Deo de facto in ordine ad
 K 2 satisfactio

108. 18. 2.

49.
Tertia: Ex in-
finita Christi
satisfactio:

50.

51.

fatisfaciendum pro pœna tēporali, propter passionem, & merita Christi, qui nobis meruit, quod nostra opera acceptaretur pro pœna debita, cum possent à Deo nō acceptari. Nam quidquid sit de merito in ratione meriti? satisfactio tamen pro pœna oblata ab illo, qui pœnam debet, non obligat Iudicem ad eam acceptandam, sed potest semper exigere pœnam à se taxatam, & infligendam, ut dixi *disp. de Incarnatione sect. 10. n. 40. & disp. 1. sect. 7. n. 16.* & colligitur ex Tridēno *ss. 4. c. 8. vbi dicitur nostras satisfactions habere vim ex Christo, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus faciemus fructus dignos pœnitentia, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illū acceptantur à Patre.* Hoc tamē pertinet ad disputationē de satisfactione, vbi ex professo id explicabimus infra *disp. 2. sect. 1.*

Quartō opponunt: cessante causa, cessat effectus: Sed peccatum est causa punitionis; ergo ablato, & condonato peccato, cessat dignitas pœnæ. Respondeo facile; causam punitionis non esse peccatum præfens, sed præteritum; quod dat ius Deo & ad rationabilem auersionem & ad iustam punitionem, ut supra vidimus, potest itaque Deus remittere alteri ius, quod pertinet ad culpam retento iure altero, quod est ad pœnam, cuius causa non est culpa moraliter permanens, sed merē præterita.

Quintō opponunt: Contritio habet vim delendi culpam, & pœnam æternam, quod est plus, ergo habebit à fortiori vim ad delendum reatum pœnæ temporalis, quod est minus. Respondeo, contritionem non habere vim, & valorē condignum ad delendum reatum culpæ, aut pœnæ æternæ, sed solum de congruo: & quidem non minorem habet congruitatem ad delendum reatum pœnæ temporalis: Deus tamē non acceptat de facto merita, aut satisfactions in ordine ad omnia, quæ de congruo possent obtinere, sed ad aliqua iuxta ordinem suæ providentiæ.

Dices: contritio propterea saltem dignificata est per gratiam, habet ex se valorem, & vim ad merendum augmentum gratiæ, & gloriæ de cōdigno: ergo habebit condignitatem etiam ad tollendum debitum pœnæ temporalis: plus enim est augmentum gloriæ æternæ, quam auferre pœnam vnius mensis: ergo contritio saltem ut continuata post iustificationem delebit totum reatum pœnæ tēporalis. Respondeo negando consequentiam, cuius ratio desumitur ex iis quæ dixi *disp. 1. de Incarnatione sect. 1. n. 17.* vbi explicui, cur contritio habeat minorem valorem, & virtutem, ac condignitatem ad satisfaciendum, quam ad merendum, quia scilicet, ad merendum operatur absque contritione: at verò in ordine ad satisfaciendum operatur in præsentia contrarij robu. stissimi, nempe peccati, quod resistit: ne Deus placeat, ne ex facilitate placationis vilescat Dei offensæ: unde debilius multo est actus bonus ad satisfaciendum, quam ad merendum, ut ibi latius probavi. Porro contritionem non posse per modum meriti condigni delere reatum pœnæ temporalis, etiam si consideretur ut dignificata iam est per gratiam habitalem, constat facile quia totus valor, quem habet per modum meriti condigni, quantus quantus est, exhaustitur in promerendo augmento gratiæ, & gloriæ, nihil ergo restat valoris ad promerendum condignè aliud præmium. Si ergo promeretur condignè remissionem pœnæ temporalis, deberet detrahi aliquid de illo alio præmio augmenti gratiæ, & gloriæ, quæ quidem permutatio, & detractio non possent fieri sine maximo detrimento ipsius merentis, cui expedit magis habere aliquid plus de gratia, & gloria æterna, quam liberari à debito pœnæ tēporalis, cum nō sit proportio

inter visionem Dei æternam; & damnum aliquod temporale. Non est ergo mirum, si contritio multo plus possit acquirere de condigno per modum meriti, quam expiare per modum satisfactionis condignæ.

His ergo contra hæreticos breviter notatis, restant nonnullæ dubitationes expediendæ: prima desumitur ex proximè dictis; an scilicet, quoties remittitur culpa, & pœna æterna, remittatur etiam aliquid pœnæ temporalis: quod dubium proponit sub his terminis Suarez *disp. 10. sect. 3. n. 17.* & partem affirmantē tribuit Caietano, Medina, Soro, & Alexandro; refert etiam Durandum, qui id limitat, ne procedat, quando contritio fuit minima, quia tunc solum fit commutatio pœnæ æternæ in tēporalem integram, ipse verò Suarez eadem sententiā amplectitur, quoties culpa & pœna æterna remittitur per contritionem. Addit, tunc ratione contritionis secundum se auferri pœnā æternam simul cum culpa per infusionem gratiæ; considerata verò eadem contritione, ut iam dignificatur per gratiam pro posteriori naturæ, tunc iam per eandem contritionem prout sic dignificatā, per modum satisfactionis condignæ, auferri debet aliquid pœnæ temporalis, plus vel minus, pro maiori, vel minori perfectione contritionis. Supponit enim, Deū taxasse singulis peccatis mortalibus duplicem pœnam: alteram æternam, si peccatum non remittatur; alteram tēporalem, si remittatur. Contritio ergo secundum se solum auferit pœnam æternam, & relinquit integram totam illam tēporalem: ipsa verò contritio, ut dignificata per gratiam, auferit aliquid de pœna tēporali. Unde quoties pœna æterna remittitur per contritionem, remittitur etiam aliquid de pœna tēporali intuitu eiusdem contritionis ut satisfactionis cōdignæ. Quādo verò iustificatio fit per sacramentum præsupposita attritione præterita, tunc non potest attritio, quæ iam nō existit, dignificari per gratiam, ut de condigno auferat aliquid pœnæ temporalis, sed totum, quod remittitur, fit ex opere operato virtute sacramenti. Hæc Suarez.

In hoc modo dicendi multa mihi difficultia vidētur. Primum est quod Deus taxaverit certā pœnā determinatam tēporalem singulis peccatis mortalibus remissis, quam postea per contritionem, & quam per satisfactionē de condigno minuat. Hoc, inquam, difficile potest intelligi: quomodo enim Deus taxavit pœnā determinatam peccato, quam tamen in nullo casu exsequi potest: taxare quippe pœnam est decernere, quā pœna puniendus sit aliquis in tali casu: oportuit ergo, quod Deus decerneret illam pœnam infligere tali, vel tali casu; hoc autē non potuit de facto decernere; quia non potest de facto occurrere casus, quo Deus illam pœnam exsequatur. Quod quidem sic probō: nam de facto pœna æterna, vel remittitur extra Sacramentum per contritionem, & tunc per se semper tollitur aliquid de illa pœna tēporali virtute ipsius contritionis: vel remittitur per Sacramentum baptismi, (& idem est de martyrio) & tunc tota pœna penitus auferitur, vel remittitur per Sacramentum pœnitentiæ, aut aliud Sacramentum, si potest aliud Sacramentum per accedens conferre primā gratiam, & tunc etiam debet aliquid de illa pœna tēporali taxata auferri: semper enim debet præcedere aliqua dispositio, & dolor de peccato: qui habet tunc non existit, disponit tamen ita ad iustificationem in Sacramento, ut iuxta mensuram illius dispositionis commutetur pœna æterna in minorem, vel maiorem pœnam tēporalem. Nam sicut pœnitenti, qui accedit cum meliori, & ferventiori attritione, confertur in ipsa absolutione maior

Tridear.

52.
Quarta: & ex condonatione ipsius peccati, quod est causa punitionis.

53.

54.

maior gratia intuitu melioris dispositionis, licet attritio physice non existat, quando profertur forma absolutionis; ita fatendum est, quod plus etiam delectatur de debito pœnæ pro mensura maioris doloris, & pœnitentiæ, quam affert; Unde Sacerdos sollet minorem pœnitentiam iniungere illis, quos videt cum maiori dolore accedere ad Confessionem, quia iudicat, eos minori satisfactione indigere, quos ratione melioris dispositionis Sacramentum ipsum purgabit magis à debito pœnæ temporalis. Nunquam ergo contingere potest, quod maneat integrum debitum illius pœnæ temporalis, Quam dicit Deum taxasse pro tali peccato mortali remisso: per consequens, non potuit dari tale decretum in Deo taxans eo modo pœnam.

Unde oritur secunda difficultas contra illum dicendi modum: quia non potest intelligi, quod pro priori naturæ contritio secundum se auferat præcisè debitum pœnæ æternæ, & pro posteriori ut dignificata à gratia: minuat debitum pœnæ temporalis: pero enim pro illo priori, qualis contritio videatur à Deo, non solum contritio in cōmuni, an hæc determinata contritio cum tali perfectione & intentione? Primum dici non potest: debet ergo Deus pro illo priori moueri à tali, & tam perfecta contritione: ergo pro illo priori non mouetur Deus æqualiter ad commutandam pœnam æternam in temporalem, sed inæqualiter iuxta inæqualitatem ipsius contritionis; sicut pro illo priori non mouetur æqualiter ad dandam gratiam iustificantem, sed inæqualiter ad dandam maiorem vel minorem gratiam iuxta inæqualitatem contritionis: cur enim magis erit inæqualitas in vno effectu, quam in alio, cum contritio disponat ad utrumque, & utrumque sit diuisibilis, & possit recipere magis, & minus.

Possit fortasse responderi ex eodem Suarez. n. 19. constanter hoc esse diuinæ iustitiæ, cum enim homo iustus possit de cōdigno satisfacere pro pœna temporalis, non est cur aliquid eius pœnæ gratis remittatur, sed congruentius est, ut totum quod auferatur de pœna temporalis, auferatur pro posteriori, naturæ intuitu satisfactionis cōdignæ, quæ pro eo signo posteriori intelligi iam potest.

Sed contra hoc est, quia in primis idem dici deberet de collatione gratiæ sanctificantis: possit enim aliquis dicere, quod pro priori naturæ intuitu contritionis secundum se, Deus dat solum primū gradum gratiæ requisitum ad expellendum peccatū: postea verò contritio eadem pro posteriori naturæ consideratur dignificata per illam gratiam, & tunc mereatur de cōdigno augmentum gratiæ, plus, vel minus, pro maiori, vel minori perfectione contritionis & hoc quidem propter eandem rationem; quia scilicet, quando homo potest aliquid de cōdigno mereri, magis congruit quod detur propter meritum cōdignum, quam quod detur gratis. Hoc autem dici non potest, nec conceditur ab illo Theologo, quia omnes concedunt, quod sicut gratia ipsa Sacramentalis datur inæqualis iuxta inæqualitatem dispositionis, sic gratia, quæ datur intuitu contritionis, ut meræ dispositionis, datur inæqualis iuxta inæqualitatem dispositionis: ergo idem omnino debemus dicere de illo alio effectu commutationis pœnæ æternæ in temporalem, qui comitatur iustificationem, & infusionem gratiæ, quod scilicet, detur etiam inæqualis iuxta inæqualitatem dispositionis, & contritionis.

Deinde eadē Dei iustitia, seu distributio, aut retributio proportionata exigere videtur, ut pro illo priori signo pro quo contritio antecedit gratiā, & disponit de congruo delendum reatum pœnæ æternæ; maior, & perfectior contritio disponat, &

P. Ioan. de Lugo de Pœnitentia.

mereatur de congruo commutationem pœnæ æternæ in minorem temporalem; nam licet eadem contritio perfectior pro posteriori signo, ut dignificata per gratiam, possit de cōdigno satisfacere pro maiori parte pœnæ, quam contritio imperfectior; hoc non tollit, quod etiam eadem contritio perfectior pro signo priori debeat mereri de congruo plusquam imperfectior, ut seruetur proportio debita inter illas duas contritiones inæquales. Quod quidem ad hominem probare possumus: ponamus enim, Petrum habere contritionem ut duo, & Ioannem contritionem ut octo: illa contritio remissa Petri, prout antecedit gratiā, satisfacit per te de cōgruo pro debito pœnæ æternæ, & tamē adhuc eadem contritio pro posteriori signo ut, dignificata per gratiam, potest per te satisfacere de cōdigno pro alia parte pœnæ temporalis: ergo contritio intensio hominis, prout antecedit gratiā, possit etiam per duos primos sui gradus satisfacere de cōgruo pro pœna æterna, & per sex vltiores satisfacere de congruo pro alia parte pœnæ temporalis remanentis; & hoc modo seruaretur melius proportio inter contritiones inæquales etiam pro signo priori, & aliunde tolleretur de cōdigno, quod potest tolli de pœna intuitu illius contritionis, cum hæc satisfactio cōdignā non impediatur per te per hoc, quod eadem contritio pro signo priori deleuerit aliquam pœnā per modum satisfactionis congruæ.

Tertio difficile mihi est in illo dicendi modo id, quod supponit, posse scilicet contritionem dignificari à gratia data intuitu eiusdem contritionis in eodem instanti ad obtinendum alium effectum: quod quidem latè impugnauit disp. 6. de Incarnat. sect. 31. Certè, si semel admittatur ille modus dignificationis possibilis: non apparet, cur eadem contritio postquam disposuit de congruo ad gratiam, ut duo, non possit prout dignificata per illos duos gradus gratiæ pro signo posteriori, mereri de cōdigno augmentum eiusdem gratiæ. De hoc tamen dixi latè in prædicto loco, neque oportet id repetere.

Quarto displicet in illa assertionem, quod limitetur ad solam iustificationem, quæ fit per contritionem, nam, ut supra insinuauimus, si consequenter loquendum sit, debet idem concedi de iustificatione, quæ semper, vel ferè semper fit etiam per Sacramentum cum attritione siue præsentis, siue præteritæ: scilicet per enim, vel ferè semper debet auferri aliquid de debito pœnæ temporalis remanente: quia ceteris paribus, quò melior est dispositio, eò minor est pœna temporalis, quæ remanet ablata culpa: cum ergo semper, aut ferè semper præcedat dispositio talis, ut potuerit esse alia minus perfecta, consequens est vè nunquam remaneat tota pœnæ temporalis integra, quæ potuit remanere remissa culpa: & quamuis illud totum fiat ex opere operato virtute Sacramenti, & non per satisfactionem nostrā cōdignam: verè tamen tollitur aliquid de debito pœnæ temporalis simul cum debito pœnæ æternæ: quare non debuit conclusio limitari ad solam iustificationem per contritionem.

Quinto denique displicet modus ille loquendi, quo dicitur, virtute contritionis, ut cōdignā satisfactionis dignificate per gratiam, remitti sepe aliquid de pœna temporalis debita, ille, inquit, loquendi modus non est proprius, neque in rigore verus: quia debitum, quod per cōdignā satisfactionem, & solutionem deleueretur, non remittitur, sed soluitur solutio enim æqualis, & remissio opponuntur. Si ergo illa pars pœnæ temporalis auferatur propter

K 3 satis

satisfactionem condignam contritionis dignificare per gratiam, non remittitur illa pars, nec dici debet, quod cum pœna æterna remittitur semper aliquid de debito pœnæ temporalis, quando peccatum deletur per contritionem, eo quod contritio satisfaciatur de condigno pro illa parte.

64. Hæc itaque difficile reddunt illum modum loquendi Patris Suarez: de re autē ipsa, & dubio proposito nō est magna difficultas. Si enim explicentur termini, constabit vel non posse esse questionē, vel responſionem esse facilem. Certum quippe est, nūquam remitti à Deo debitum pœnæ æternæ, & commutari in pœnam temporalem ita diuturnam, & grauem ut non posset commutari in aliam pœnam temporalem grauiorem, & diuturniorem. Debemus ergo gratias Deo, tum quia remisit pœnam æternā: tum quia non commutauit illam in aliam temporalem maiorem, prout iustitiam poterat: & in hoc sensu nunquā remittitur æterna pœna, imō nec remitti potest, quin simul remittatur aliquid de pœna temporalis, in quam commutari potuisset. Si autem comparatio fiat, non cum pœna, quæ remanere potuisset, sed cum illa in quam de facto commutatur pœna æterna, & de hac ipsa queratur, an aliqua pars illius remittatur simul cum pœna æterna? tunc dicimus in ipsis terminis inuolui repugnantiam: quia si pœna æterna commutatur in pœnam, verbi gratia, decennij, & in eodē instanti remittitur pœna vnus anni, ergo verē pœna æterna commutata fuit in pœnam solum nouem annorum, & non in pœnā decennij: in illam enim pœnam commutatur, cuius solum debitū manet reliqua remissa: si ergo solum manet debitum nouem annorum; in illam solum commutatur pœna æterna.

65. Nec potest explicari, quomodo fiat illa duplex remissio, ut inductione probari potest ex supra dictis: quia nec priori remissio, aut commutatio fit ex lege Dei volentis commutare pœnam æternam in temporalem decennij, verbi gratia virtute contritionis secundum se & postea propter excessum contritionis remittit aliquod de illo decennio: hoc enim non potest dici: quia non potest esse lex de commutatione pœnæ æternæ in decennium integrum, verbi gratia cum nunquam Deus velit, quod debeatur integrum decennium, sed deberet lex de commutatione in decennium non integrum, sed diminutū plus, vel minus pro maiori, vel minori perfectione contritionis & tunc nō esset iam duplex remissio, sed vna iuxta legem illā Dei. Nec etiam potest dici, quod virtute sacramenti commutetur in decennium, v.g. & rursus ratione melioris dispositionis tollatur aliquid de illo decennio; quia non potest fieri commutatio intuitu solius Sacramenti secundum se, ut supra vidimus: quia Sacramentum prout præcindit à dispositione, in adultis nihil operatur: ergo in illa prima commutatione non præcindit Sacramentum à dispositione, ac per consequens non potest fieri vna commutatio virtute solius Sacramenti, & altera remissio intuitu dispositionis.

66. Nec denique potest id explicari, tribuendo vnā commutationem contritioni secundum se prout antecedit gratiam, & aliam diminutionem eiusdē pœnæ eidem contritioni prout dignificare per gratiam pro signo posteriori: tum quia contritio pro signo posteriori non potest dignificari à gratia collata intuitu eiusdem contritionis, ut supra dixi, tum quia contritio pro signo etiam priori, cum sit æqualis deberet inæqualem satisfactionem afferre pro eo signo, & propter alias rationes, quas supra prosequuti sumus. Non potest ergo illa vniuersalis regula verificari, neque in omni

casu simpliciter, nec etiam quoties iustificatur homo per contritionem perfectam. Fateor, posse aliquando contingere, illam diminutionem pœnæ temporalis, in quam commutatur æterna in eodem instanti; ut si lucretur aliquis simul aliquam indulgentiam, per quam remittatur pars pœnæ, in quam eodem instanti fuerat commutata æterna: vel si eodem instanti excerceas aliquem actum bonū, & meritum alterius virtutis, per quem sicut potest mereri de condigno, poterit etiam satisfacere de condigno pro aliqua parte pœnæ temporalis, id quam eodem instanti commutata fuit æterna: nego tamen, esse regulam vniuersalem, ut Auctores contrarie sententiæ volebant.

Secundō principaliter dubitari potest, an quādo de facto homo iustificatur media contritione perfecta extra Sacramentum, commutetur pœna æterna in minorem pœnam temporalem, quā commutaretur olim, quam in lege veteri iustificabantur homines per contritionem; an verō in æqualem cæteris paribus? Caietanus rō. 1. opusc. tract. 4. quæst. 4. docet, eandem contritionem in lege gratiæ, cæteris paribus, relinquere minorem reatu pœnæ temporalis, quā ante propter votum Sacramenti penitentiae, quod includitur quā sententiam refellit Suarez dicta sect. 1. n. 8. quia vel intelligit remitti aliquid pœnæ ex opere operato propter solū votū Sacramenti: & hoc est falsum, quia sacramenta non operantur, antequam sint: vel intelligit, remitti solam ex opere operantis: & hoc etiam est falsum, quia vel illud est votum solum implicatum: & hoc non sufficit ad illum effectum: quia non reddit actū meliorem, nec magis pœnalem, vel est votum explicitum: & iam non erunt cætera paria, nec esset eadem contritio, sed diuersa propter votum explicitum Sacramenti quod olim non habebat.

Cæterum sententia Caietani posset fortasse non improbabiler defendi, dicendo contritionem eandem habere maiorem congruitatem nunc ad gratiam promerendam, & ad satisfaciendum pro pœna, quā haberet olim ante Christi aduentum. Non enim videtur posse negari quod eadē oratio, vel idem actus bonus factus à persona magis coniuncta Christo, verbi gratia, ab eius matre, vel auis, aut fratre, habeat aliquam maiorem congruitatem ad impetrandum, vel merendum, quam si fieret ab alio non ita coniuncto, etiam si cætera essent paria quia illa maternitas, vel coniunctio est nouus titulus præferens illa personam aliis, quando cætera sunt paria. Cum ergo post Christi aduentum omnes facti simus eius consanguinei, licet in gradu remoto, quam coniunctionem nondum habebant homines in lege veteri, consequens videtur, quod hic titulus consanguinitatis afferat contritioni nostræ maiorem aliquam congruitatem ad impetrandam, & promerendam veniam culpæ, & pœnæ quam antea haberet. Nam quidquid sit, an condignitas actus boni in homine iusto, sit etiam maior nunc quā olim, stante æquali gratia habituali propter hunc nouum titulum consanguinitatis cum Christo prout aliqui volunt, in quo maior potest esse difficultas, aliquando tamen de mera congruitate, non videtur negandum, quod accretat aliquid congruitatis operibus bonis, ut impetrent, vel obtineant aliquid ex eo quod fiant à persona magis coniuncta Christo.

Tertio dubitari potest, si Deus remitteret peccatum mortale absque gratiæ sanctificantis infusione, an posset tunc non remittere pœnam æternam sed relinquere totum debitum pœnæ diminutā culpa; Negant Scotus, Gabriel, & Medina, quos affert Suarez sect. 1. n. 3. Ipse verō Suarez sub distinctione

distinctione responderet, nam si sermo sit de pœna æterna in communi, concedit, id fieri potuisse: Si verò sermo sit de pœna æterna, prout illam damnati de facto patiuntur in Inferno; negat: quia hæc pœna includit multa, quæ supponunt culpam non remissam; scilicet, voluntatem peruersam, inimicitiam inter patientem, & punientem, obstinationem in malo, odium aduersus Deum, vermem æternum conscientia, quæ omnia repugnant in eo, cui peccatum iam est condonatum. Huic sententia, & distinctioni subscribit etiam P. Coninch. *disput. 2. dub. 11.*

70. Ego tamen iuxta ea, quæ dixi supra disput. præcedenti sect. 6. num. 82. existimo, loquendo de potentia Dei absoluta, potuisse dimissa culpa remanere debitum totius, aut ferè totius pœnæ æternæ, qualem de facto patiuntur damnati in Inferno. Nam de facto Deus in pœnam alicuius peccati venialis, solet homini negare auxilium efficacæ ad resistendum tentationi graui, præuidens ex negatione talis auxilij lapsum hominem grauius, & aliquando damnandum: cur ergo non posset Deus de potentia absoluta remissa culpa mortali, velle punire pœna æterna sensus, qualem & quantam patiuntur damnati in Inferno, & rursus negare auxilium, quo posset homo moraliter resistere tentationi, quæ ex illo tormento eterno insurgeret vehementissima ad odium aduersus Deum ita acriter illi patientem negato autem illo auxilio moraliter sufficienti, & relicto auxilio, quod solum daret potentiam physicā, iam homo certissime prorumperet in odiū acerbū aduersus Deum ab ipso tormenti initio, atque adeo haberetur etiā odio ab ipso Deo propter illud, & alia peccata, quæ ex tunc committeret, & licet propter illa non puniretur, eo quod non essent peccata, hominis viatoris; esset tamen odibilis, & iniustus propter illa: maneret deinde obstinatus in illis, cum semper maneret absque auxilio moraliter sufficienti ad penitentiam: haberet vermem æternū horum peccatorum: maneret ergo similis in omnibus animæ, quæ de facto damnata est, hoc vno excepto, quod tunc puniretur propter peccata iam dimissa quoad culpam, nec haberet tunc vermem culpæ commissæ, & non dimissæ in hac vita haberet tamen, dixi vermem peccati præsentis, peruersionem, & obstinationem, sicut nunc habent damnati; nam tota illa negatio futura auxiliorum includebatur etiam in pœna condigna peccati mortalis; & Deus supponitur non remississe aliud de pœna, sed solum culpam præcisè, imò de facto fortasse Deus aliquando remissa culpa mortali, negat adhuc alicui auxilia vberiora, vel efficaciam ad resistendum tentationi alicui graui propter peccatum præteritum. Si verbi gratia aliquis cum voto castitatis uxorem ducet, vel contra religiosa vota relinquit sacrilegè statum religiosum, quem assumpserat, & obtemperantia dispensatione maneat in sæculo; etiam si vterque per attritionem in sacramento iustificetur adhuc Deus potest, & fortasse aliquando de facto vtrique negat auxilia vberiora, vel efficaciam ad resistendum, & permittit vtriusque lapsus in alia peccata propter peccatum præteritum, etiam si dimissum fuisset quoad culpam per virtutem sacramenti.

Quarto dubitari potest, an sicut vnus reatus pœnæ potest commutari in aliam minorem absque eo quod totaliter remittatur; sic etiam reatus culpæ possit ex parte remitti, ita ut qui reatus erat prius grauioris offensæ, maneat reus offensæ leuioris vel minus grauis, atque ita commutetur vnus reatus culpæ in alium minorem: de quo dubio nunc magis ex professo dicendum nobis est.

Dubium incidens: *Utrum sicut reatus pœna potest solum ex parte remitti, sic etiam possit reatus culpæ?*

72. Hanc difficultatem non inuenio ab Auctoribus examinatam: ratio autem dubitandi oritur ex supradictis: nam eadem videtur esse ratio de reatu pœnæ, & de reatu culpæ; ut sicut qui debet pœnam grauem potest ex indulgentia Dei, vel ex satisfactione condigna, diminueri illud debitum, & manere debitor pœnæ minoris: sic etiam qui habet reatum culpæ, & est debitor auersionis diuinæ grauioris, possit ex indulgentia Dei diminueri illud debitum, & manere debitor auersionis diuinæ minoris: nam sicut ille, qui debet pœnam adulterij, potest ex indulgentia Dei reduci ad eum statum, ut propter adulterium præteritum debeat solum pœnam mendacij, vel furti leuis: cur non potest ex eadem indulgentia Dei reduci ad eum statum, ut sit debitor auersionis diuinæ, non qualem, & quantam affert adulterium, sed qualem affert mendacium vel furtum leue.

73. Ad hoc dubium videbitur fortasse facile responderi posse, quidquid sit possibile, de facto tamen id non fieri in reatu culpæ sicut fit in reatu pœnæ: quia culpa mortalis remittitur per infusionem, gratia, sanctificantis, quæ cum sit formalis sanctitas necesse est, quod mundet formaliter animam totaliter à fœditate, & macula culpæ mortalis, atque ideo non potest remanere partialiter reatus culpæ, quia iam remaneret, ex parte macula simul cum gratia, quæ est formalis sanctitas & mundities animæ. Hinc autem sequitur, quod nec culpa venialis remittatur de facto partialiter: quia si attritio cum Sacramento, vel etiam contritio extra sacramentum delet culpam mortalem totaliter: à fortiori eadem remedia delebunt culpam venialem totaliter, & non solum ex parte: multò enim plus est auferre totum reatum culpæ mortalis, quàm auferre totum reatum culpæ venialis: ergo remedia, quæ habent vim ad illud, habent à fortiori ad istud. In remissione autem pœnæ non procedit eadem ratio: quia licet peccatum mortale deleatur per infusionem gratiæ, cum qua non potest manere fœditas peccati mortalis: potest tamen cum eadem gratia manere reatus pœnæ temporalis, qui non est macula, nec fœditas, & ideo non oportuit remitti totaliter culpam.

74. Hæc tamen responsio re vera non euacuat difficultatem propositam. Primum, quia licet gratia sit sanctitas formalis, & non possit stare cum reatu culpæ mortalis, potest tamen stare, & de facto stare cum reatu leui, seu veniali: ergo sicut de facto reatus pœnæ æternæ, qui non potest stare cum gratia commutatur in reatum pœnæ temporalis, cum quo stat gratia: sic potuit reatus culpæ grauis commutari in reatum leuiorem, cum quo posset stare gratia: probatur consequentia ex supra dictis: quia reatus culpæ est debitum auersionis diuinæ ob peccatum præteritum, quod debitum perseuerat, quando non remittitur à Deo; sicut reatus pœnæ est debitum pœnæ soluendæ: sicut ergo potest Deus remittere pœnam æternam retinendo ius ad exigendam pœnam leuiorem temporalem, quia non vult totaliter remittere ius puniendū, cur non posset remittere ius quod habet ad auersionem grauem, & retinere sibi ius ad aliqualem auersionem leuem propter peccatum præteritum; Porro si ita faceret, adhuc posset gratia stare cum debito illo auersionis lenis idē facto enim homo debet auersionem leuem diuinam propter culpam venialem: & hoc debitum

fiat cum gratia: ergo si Deus retineret sibi ius solum ad auersionem leuem propter peccatum mortale, qualem auersionem habet propter veniale, & remitteret ius ad auersionem grauem, posset utique debitum illud manere cum gratia habituali, & remitteretur verè culpa mortalis maiori ex parte; reducereturque macula illa grauior ad maculâ leuiorem, quia macula illa seu fœditas habitualis non est aliud, vt vidimus latè in superioribus; nisi peccatū præteritum, vt moraliter perseverans: intelligitur autem perseverare moraliter, quandiu Deus retinet ius ad auersionem propter peccatum præteritum: si ergo Deus non retinet ius ad auersionem grauem, sed solum ius leue ad auersionem leuem, non dicitur perseverare peccatum præteritum maculâ grauior, sed maculâ leuior, cum non reddat iam hominem odibilem simpliciter à Deo; sed solum obiectum auersionis leuis, ad quam solum Deus sibi ius retinuit: quæ fœditas leuis non est impossibilis cum gratia habituali, vt constat de facto in homine iusto habente maculas veniales.

75. Secundò remanet adhuc difficultas, circa ipsa peccata venialia, cur non possit aliquando de facto deleri solum partialiter, etiam quod culpam. Nam licet ob rationē in responsione assignatam admittamus quod debeant remitti totaliter, quando remittuntur in Sacramento cum attritione, vel per contritionem extra Sacramentum: possent tamen deleri partialiter, quando homo extra Sacramentū habet solum attritionē de aliquo veniali: tūc enim non procedit ratio suprà adducta, cum attritio extra Sacramentum, & martyrium nunquam habeat de facto vim ad delendam culpam mortalem totaliter vel partialiter. Posset ergo Deus de facto condonare homini attrito culpam veniale, non totaliter, sed partialiter, commutando debitum auersionis leuis in debitum auersionis leuioris, quale remanere potuisset ex alio peccato veniali leuiori.

76. Tertiò remanet difficultas: quia si semel admittitur de possibili, quod posset reatus culpæ partialiter auferri; sicut auferri partialiter reatus pœnæ, nō faciliè explicabitur; quomodo de facto id non fiat. Nam si per remissionem Dei posset partialiter auferri illud debitum culpæ, ergo & per propriam satisfactionē posset etiam partialiter auferri: atque ideo licet peccatum mortale sit debitum incompenabile à pura creatura per propriam satisfactionem, non tamen apparet, cur non sit compensabile saltem ex parte: ille enim, qui apud Matthæum *cap. 18.* debebat decem millia talenta, non poterat quidem illa soluere, & exhaustire debitum: poterat tamen aliquam partē reddere, saltem decem denarios: ergo peccator, qui per illum debitorem significatur, posset quidem non liberare se à toto debito, sed tamen ex aliena parte illud diminuere, & reducere prius debitum, non quidem ad statum debiti venialis, & leuis, sed ad statum debiti minus grauis. Quod si hoc fieri posset, videretur quod de facto id faciat per bona opera, ieiunia, elemosynas, preces, post attritionem de peccatis: quia hæc licet non sint condigna satisfactio pro toto debito; videntur tamen sufficere pro aliqua minima parte debiti. Habet autem maiorem difficultatem in peccato veniali, supponendo cum communi sententia, quod potest pura creatura pro illo condignè, & totaliter satisfacere. Quo supposito, nō apparet, si reatus culpæ potest ex se partialiter auferri, cur de facto non ita deleatur per partes. Præsertim si cum probabiliori fortasse sententia dicamus, per attritionem extra sacramentum non semper remitti omnia peccata venialia. Tunc enim videretur quod posita attritione & replicata, satisfiat partialiter pro illo debito cul-

Matth. 18.

pæ, & per consequens homo non debeat tantam auersionem Dei quantam prius debebat, sed leuiorem, siquidem soluit iam ex parte pro illo debito per partialem solutionem, & satisfactionem. Hic autem modus delendi partialiter culpæ, sicut & pœnam ita vt maneat culpa quoad aliquā partem, & deleatur quoad partem non videtur posse de facto admitti cum sit contra mentem omnium Theologorum.

Vt hæc omnia dissoluantur, & explicemus hanc difficultatem; suppono primò dubium propositum posse procedere, vel de facto, an scilicet, de facto debitum culpæ auferatur solum quoad partem, manendo adhuc quoad partem, sicut auferitur reatus pœnæ: vel solum de possibili an potuisset Deus statuere vt sicut pœnæ reatus auferatur per partes, sic fieret de reatu culpæ. Suppono secundo, quætionem posse procedere, vel de modo delendi culpam per condonationem Dei extrinsecam per infusionē gratiæ, vel de modo delendi culpam per satisfactionem condignam, per quam formaliter extingatur vel totaliter, vel partialiter debitum auersionis diuinæ.

His suppositis dico primò, loquendo de possibili, non apparet, cur non potuisset Deus statuere, vt tolleretur per partes reatus culpæ venialis, atque etiam mortalis, non solum si per condonationem extrinsecam, sed etiam si per infusionem gratiæ remitteretur culpa mortalis. Hanc conclusionem probant mihi argumēta suprà facta: nam in primis de culpa veniali non apparet, cur non posset Deus remittere partialiter indignationem suam: & cedere iuri ad totam indignationem retinendo ius ad aliquam leuiorem, ita vt esset Deus ex parte placatus, sed non totaliter. Rursus si culpa mortalis remitteretur per condonationem extrinsecam, non apparet cur Deus nō posset remittere ius ad indignationē grauiorem, retinendo sibi ius ad indignationem & auersionem grauem; item remittere ius ad indignationem grauem, retinendo ius ad leuem. Denique etiam remitteret peccatum mortale per infusionem gratiæ adhuc posset retinere ius ad auersionem leuem, quæ non est impossibilis cum gratia, & amicitia Dei: non est ergo repugnātia, loquendo de possibili, quod reatus culpæ venialis, vel mortalis deleatur per partes, sicut tollitur de facto reatus pœnæ.

Dices, si posita gratia, posset manere macula quoad aliquid: ergo nunc de facto non deleatur tota macula peccati mortalis per solum gratiam, sed per condonationem etiam aliquam intrinsecam, siquidem gratia sola posset esse cum aliqua parte illius maculæ, atque adeo gratia habitualis non erit causa formalis ad æquā iustificationis. Respondeo negando vltimam sequelam: nam iustificatio vt iustificatio est translatio à statu peccati mortalis ad statum filij Dei; vt dixit Tridentinum; hoc autem totum per gratiam habitualement, cum qua non potest manere macula grauis, sed solum leuis, cuius ablatio non oportet quod proueniat à sola gratia illa vt à forma omnino totali.

Dices iterum: ergo macula peccati mortalis non est aliud, nisi complexum ex pluribus maculis leuibus finitis, per quarum ablationes tandem tolleretur tota macula mortalis. Respondeo; negando etiam sequelam: quia macula illa leuis, quæ remanere posset, non esset pars aliquota maculæ præcedentis. Sicut instans, vel punctum non est pars aliquota temporis, vel lineæ: sic macula leuis, quæ remaneret, nullam haberet proportionem cum macula ablata, sed excederetur ab ea infinitate secundum quid propter incompenabilitatem peccati mortalis.

Dico

Dico secundò, loquendo etiam de possibili, non potuit fieri, quod reatus culpæ mortalis deleteretur per satisfactionem peccatoris quoad aliquam partem etiam leuissimam, ita ut ex offensa grauissima, cuius reus erat homo, remaneret reus offensæ, grauius quidem sed minus grauis. Vnde à fortiori fatendum est, de facto nullo modo diminui reatū culpæ mortalis per satisfactionem peccatoris. Hæc conclusio mihi à posteriori probatur argumento supra indicato ex absurdis quæ sequeretur si fieri posset, quod per proprias satisfactiones diminueretur debitum culpæ mortalis: difficile enim redderetur ratio, cur de facto id non fieret. Ratio autem repugnantia à priori reddi potest ex infinitate secundū quid & incompenabilitate, quam habet peccatum mortale: hinc enim fit, ut nec pro parte illius fieri possit satis à pura creatura: quia si pro aliqua parte illius debiti satisfieri posset; posset aliquando pro toto debito satisfieri. Ponamus enim verbi gratia, quod reus peccati mortalis sacrilegij per propriam satisfactionem deleat ex aliqua parte leuissimam illud debitum, atque ideo iam non sit debitor auersionis diuinæ adeo grauis sed leuiois. Deus ergo auerteretur iam ab illo, non sicut antea, aut sicut ab alio, qui simile peccatum commisit, & nullo modo satisfecit, sed quantum, & sicut auerteretur ab alio, qui commisit peccatum mortale furti aliquantum leuius. Tunc sic argumentor: peccatum ab hoc homine commissum excedit grauitate sua illud aliud peccatum furti excessu aliquo determinato, qui excessus erat pars aliqui virtualis respectu totius grauitatis ipsius sacrilegij: sicut ergo potuit homo suis operibus satisfacere pro illo excessu, & extinguere illam partem offensæ, poterit postea per totidem opera satisfacere, & extinguere aliam similem partem offensæ, & tandem post longum tempus repetitis sæpe operibus satisfaciens pro toto debito & extinguet totam offensam: suppono enim offensam non fuisse infinitam, nec constare eius malitiam infinitis gradibus æqualibus vni tercio: quare si semel concedatur, quod homo potest satisfacere condignè pro aliqua parte determinata illius grauitatis, quæ sit grauitas ut duo, verbi gratia. Consequens erit, ut possit postea extinguere alios duos gradus, & postea alios duos, donec extinguat omnes. Fatendum ergo est ex incompenabilitate peccati mortalis provenire, quod non possit satisfieri nec pro toto, nec pro parte illius, quia si posset pro parte posset repetitis operibus satisfieri pro toto.

Hæc ratio probat solum de peccato mortali, non de veniali, quod cum non sit omnino incompenabile à pura creatura iuxta communem sententiam, non apparet, cur non possit satisfactione nostra deleat quoad aliquam partem, priusquam extinguatur tota offensæ. Adhuc tamen de peccato veniali Dico tertio, etiam de possibili repugnare, quod per propriam satisfactionem homo deleat reatum culpæ partialiter, antequam deleat totum. Hanc conclusionem probant etiam mihi inconuenientia supra indicata: quia si possibilis esset ille modus satisfaciendi pro parte, & diminuendi offensam, dicendum esset de facto id fieri, atque adeo posita semel attritione de culpa veniali extra Sacramentum, licet non extinguatur, deleat tamen & diminui ex parte culpam & successiue per alia opera paulatim diminui: nec ad hoc necessaria esset acceptatio Dei, quia licet ea acceptatio requiratur in satisfactione propinqua, non tamē in satisfactione pro culpa, ut dixi disp. de Incarnatione, sect. 7. non potest enim durare moraliter offensæ, & auersio nisi quādiu ex parte offensoris non est factum quantum satis erat ad placan-

dū offensum, postquam autē id factum est, iam non erit rationabiliter, sed irrationabiliter auersus offensus, si nolit placari: ergo si homo facit quantum satis est, ut Deus non sit adeo auersus, sed leuius indigneretur, eo ipso extinguit formaliter ex parte illud ius, quod Deus habebat ad maiorem auersionem: deberet ergo de facto deleat successiue, & per partes reatus culpæ venialis.

Imo non solum per actus bonos supernaturales, sed etiam per naturales satisfaceret homo de facto, & extingueret ex parte reatum culpæ venialis. Suppono enim peccatum veniale etiam in statu puræ naturæ potuisse condignè compensari, licet difficilius, per penitentiam, & opera bona diuturna, & intensa: quia sicut in eo statu homo posset mereri præmium naturale, ita posset satisfacere pro debitis naturalibus, & expiare maculas naturales, & hanc vim haberent etiam opera bona naturalia de facto, ut satisfacere possent post longum tempus pro macula peccati venialis, prout saltem opponitur Deo auctori naturæ, ut dixi loco citato de incarnatione *mun. 132. & sequentibus*. Vnde si ea opera posset deleat ex parte offensam antequam extinguerent totam: non esset, cur de facto eam ex parte non extinguerent, & redderent Deum minus auersum ab homine propter peccatum commissum.

Ratio à priori huius repugnantie videtur hæc esse: quia nimirum offensus, qui prouocatus, & quasi expulsus ab offendente recessit ab ipso per iustitiam, & rationabilem auersionem, non debet cogi, ut redeat ad ipsum, nisi ab eodem offendente reuocetur: debet autem reuocatio esse æqualis expulsioni, ut cogat offensum redire: quare si acerbe, & vehementer expulsi, frigide autem & remisse reuocet, non cogitur offensus redire, quia reuocatio non adæquat expulsionem, & offensam, habet ergo offensus totum suum ius ad recessum, & auersionem, donec satisfactio sit æqualis, & tanta, ut in estimatione prudentum adæquet offensam, quæ fuit occasio auersionis, & recessus.

Dices: si aliquis haberet quatuor peccata venalia diuersa, & disparata; potuisset satisfacere pro vno antequam satisfaceret pro aliis, & tunc deleat, & extingueret maculam illius peccati manens macula aliorum: ergo ad delendam partem offensæ, & extinguendum ius quoad aliquam partem, non est necesse, quod ponatur quantum requiritur ad extinguendum totum ius. Probatur consequentia, quia in nullo casu auersio Dei ab homine, & eius indignatio erat propter quatuor peccata venalia, & tamen auertitur pars auersionis & placatur Deus ex parte, non posita tanta satisfactione, quanta fuit occasio auersionis: ergo etiam quando esset vnum peccatum veniale, posset satisfieri partialiter, & deberet Deus placari ex parte, licet nondum posita esset satisfactio æqualis occasioni recessus.

Responderi posset primò, negando consequentiam: quia in primo casu occasio indignationis non esset vna, sed quadruplex: Vnde singula posset auferri seorsum per satisfactiones, & reuocationes, singulis æquales, & proportionatas: at verò in secundo casu occasio, & quasi expulsio Dei fuit vnica, quæ debet tolli per reuocationem, & satisfactionem sibi æqualem, & proportionatam. Secundo tamen, & melius responderi potest negando antecedens. Singula enim peccata, quæ adueniunt, reddunt difficiliorem satisfactionem pro aliis. Hinc est ut existens in peccato mortali non possit vllò modo satisfacere condignè pro peccato veniali. Hinc etiam est, ut in humanis, qui ob duas offensas auersus est ab aliquo, non reconcilietur illi, nisi vel gratis vel ite condonare, vel offensæ satisfaciatur.

fatisciat pro utrâque. Ratio autem à priori est, quod offensæ illæ successiue posite integrat postea unam rationem, & causam maioris auersionis, quæ causa nō exinguitur, nisi ponatur alia causa æqualis ad reuocandum ad se quem per repetitam offensionem expulit. Vnde sicut obsequia multiplicata fatisciant, & placent pro offensâ, licet singula obsequia non placent: sic offensæ multiplicatæ, & repetitæ alienant, & separant magis offensum, per modum vnius causæ: nec placatur de condigno, aut cogitur in æstimatione prudenti ad acceptandam satisfactionem, nisi sit æqualis illi toti offensionum cumulo.

86.

Dices iterum, in humanis offensas, non semper totaliter, sed partialiter etiâ deleri, qui enim prius implacabilis erat, postea paulatim emollitur, & licet non sit omnino reconciliatus, est tamē minus alienus, & auersus, quam antea: non est ergo iuxta naturam offensæ, vt non per partes, sed tota simul auferatur. Respondeo ex humanis colligi quidem posse id, quod supra dicebamus in prima conclusione, quod scilicet, possit offensâ, quantum est ex se, condonari partialiter: sic enim homines sæpe partialiter videntur condonare, & placari successiue, ita vt licet non sint omnino reconciliati, minus tamen auersionis, & indignationis retineant. Hoc tamen fit per condonationem, & indulgentiam, aut benignitatem magis quam per condignam satisfactionem offenditis quæ obliget offensum ad deponendam partem indignationis, antequam sit satisfactum pro toto: ratio enim supra adducta communis est ad offensas contra Deum, & contra homines, & de vtriusque probat, non posse condignam satisfactionem per partes extinguere quod quidem experientia etiam ipsa comprobare videtur: nam si aliquis grauiter offendit virum nobilem æqualem sibi, contumelias, aut fortē calcibus, vel alio modo: & postea occurrentem sibi capite aperto saluter, & dicat nollem me, ita fuisse ita acceptū, vt te percuterem: quis dicit ex parte aliqua satisfactionem iam esse pro offensâ, nec posse rationabiliter eum, qui offensus erat, in indignationem, & auersionem integram retinere, sed debere ex parte reconciliari, & satisfactionem illam acceptare? Fateor satisfecisse partialiter causâ, hoc est, posuisse partē satisfactionis, ex qua, & aliis superuenientibus possit integrari satisfactio sufficiens: non tamen satisfaci partialiter effectus: hoc est non posuit partē illius effectus, seu placationis ad quam ordinatur satisfactio. Sic, qui venialiter peccauit, & incipit ponere partem satisfactionis, incipit quidem satisfacere ex parte causæ: hoc est incipit ponere causam placationis diuinæ, sed nondum incipit poni effectus, quia placatio diuina debet poni inuisibiliter tota simul si ponenda est per satisfactionem condignam peccatoris.

87.

Restat ergo solum difficultas de illo alio modo auferendi offensam per condonationem, quomodo diximus potuisse auferri per partes reatum culpæ sicut auferitur reatus pœnæ: circa hoc, inquam, restat difficultas, an de facto Deus ita remittat offensam mortalem, retinendo sibi ius ad aliquam auersionem leue m, sicut retinet ius ad aliquam pœnam temporalem: item, an ita remittat aliquando culpam venialem retinendo sibi ius ad aliquam auersionem, & indignationem leuiorem, sicut retinet ius ad aliquam pœnam minorem quam antea deberetur pro eodem peccato veniali.

88.

Deus nunquam remittit reatum culpæ ex parte.

Dico ergo vltimò: de facto Deus nunquam remittit reatum culpæ ex parte, sed vel totum, vel nihil illius. Hæc conclusio quoad remissionem peccati mortalis videtur certa: quia hæc vel fit in

Sacramento, vel fit extra Sacramentum: si fiat in Sacramento, non videtur posse aliter fieri; quia si homo non est dispositus, peccatum nō dimittitur: si verò sit dispositus remittitur tota culpa: nam Minister operatur ex potestate Christi, qui dedit certè potestatem remittendi peccata totaliter cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* In baptismo autē remittitur non solum tota culpa, sed etiâ totus reatus pœnæ: & idem est in Martyrio. Si verò peccatum mortale remittatur per contritionem extra Sacramentum; remittitur etiam tota culpa iuxta diuinam promissionem, quæ plenam remissionem continet, dum homini contrito promittit Deus: *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*: & iterum: *omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Vnde à fortiori idem dicendum videtur de peccato veniali: si enim contritio disponit ad totalem remissionem peccati mortalis; multo magis disponit contritio de peccato veniali ad totalem eius remissionem.

Solum posset dubitari de remissione peccati venialis, quæ aliquando iuxta communem sententiam habetur extra Sacramentum, & absque contritione perfecta, sed solum posita attritione, vel simili dispositione vt videbimus *infra diff. 3. sect. 1.* Non habemus enim promissionem diuinam de ponenda tunc remissione totali; quare cum aliunde dixerimus non repugnare remissionem partialem, posset aliquis dicere, quod de facto deus aliquando in prædictis casibus. Et quidem dicunt, non remitti veniale extra Sacramentum, nisi per contritionem perfectam de illo, non æstimabunt magnā absurdum, quod non remittatur plene, sed aliquando solum ex parte posita attritione extra Sacramentum, neque ego video inconuenientia magni ponderis in ea assertione. Adhuc tamen probabilius existimo, quod etiam in iis casibus, vel non remittatur culpa, vel remittatur tota simul. Quod quidem colligere possumus satis verisimiliter ex modo, quem Deus habet remittendi culpam in Sacramento, vel per contritionem: quia licet tunc etiam potuisset non remittere culpam totaliter, sed solum ex parte, vt diximus; noluit tamen de facto id facere, sed culpam totaliter remittere aliquid & solum retinere aliquid ex debito pœnæ: ergo credibile est nisi aliunde oppositum nobis constet quod eodem modo remittat culpam venialem: quando per attritionem vel alias dispositiones eam remittit.

Ratio autem congruentiæ, cur magis hunc modum retinere vellet in remissione culpæ, quam in remissione pœnæ, ea esse potuit; quod retentio quidem debiti pœnæ quoad aliquam partem, vtilis erat ad exercitium bonorum operum, quibus homines satisfacere curarent pro pœna quam debet, quæ opera deferuiunt ad vitanda postea alia peccata: hoc autem non erat ita necessarium retinere partē culpæ: quia si homo non mouetur ab exercitiis bonorum operum, vt redimat debitum pœnæ, non multum curaret de illis operibus ad expiandū debitum culpæ venialis, etiam si, partialiter remaneret. Adde, quod reatus pœnæ nō est macula, nec deturpat animam, sicut reatus culpæ, quare facilis potuit Deus velle, quod in suis amicis remaneret reatus ille, quam iste. Denique remissio totalis pœnæ videretur esse cum aliquo præiudicio iustitiæ vindictivæ, ad quam spectat punire delinquentem, cui iustitia fit ex parte satis, dū retinetur pars pœnæ, vt delicta puniatur, quando verò culpa tota liter remittitur retenta pœna, nō fit cum eiusmodi præiudicio iustitiæ vindictivæ, sed ex motu misericordiae & clementiæ derogatur implacabilitati & seve

seueritati quam potuisset Deus rationabiliter exercere: quæ tamen virtutes non ita videntur procuranda à gubernatore, sicut iustitia vindictiua, quæ intendit bonum commune, & punitionem debitam, vt Respublica purgetur à delictis: cui debito difficilius debet derogare Princeps, quam seueritati, & implacabilitati, quibus cum derogat, solum videtur id facere in præiudicium iuris personalis, quod habet ad indignationem, & auersionem contra eum, à quo offensus est.

Solum posset obici huic conclusioni: quia non videtur posse bene arguere ex eo, quod Deus de facto remittit semper totaliter culpam per contritionem, aut per Sacramentum, quod eodem modo remittat etiam totaliter culpam venialem, quoties eam remittit per attritionem aut aliam dispositionem extra Sacramentum, contra hoc enim retorqueri potest idem argumentum: quia in Sacramento, aut posita contritione, Deus non dimidiat remissionem culpæ quoad numerum, sed vel nullam remittit vel omnes, de quibus habetur contritio, vel in Sacramento etiam omnes de quibus est attritio. Et tamen extra Sacramentum non semper remittunt omnia peccata venialia, quando habetur attritio de illis, sed aliqua plura, vel pauciora iuxta Dei voluntatem, aut decretum: quia si omnia remitterentur; nunquam remitterentur venialia sola absque mortalibus in Sacramento penitentia: aut enim præcessit attritio de illis; & tunc iam remissa erunt ante absolutionem; aut non præcessit attritio; & tunc nec per absolutionem remittuntur. Fatendum ergo est, quod Deus non obseruat eundem modum dimittendi culpam venialem extra Sacramentum cum sola attritione, quem seruat, in Sacramento vel cum contritione perfecta: atque adeo sicut dimidiat remissionem venialium extra Sacramentum remittendo reatum culpæ quoad aliqua, & retinendo quoad aliqua, licet de omnibus sit attritio; sic potuit de facto dimidiare remissionem vnius peccati venialis cum attritione extra Sacramentum remittendo reatum culpæ partialiter, & retinendo partialiter, quamvis id in Sacramento non faciat.

Solutio huius obiectionis supponere debet quod dictum fuit infra *disp. 9. sect. 2.* de peccato veniali; remitti scilicet aliquando extra Sacramentum cum sola attritione; non tamen semper omnia peccata, de quibus habetur attritio: Supposita ergo ea doctrina, procedit difficultas eius obiectionis: sed adhuc responderi potest ex dicendis ibidem, Deum formaliter loquendo eundem modum seruare semper in remissione culpæ venialis extra Sacramentum: vt scilicet semper remittat totum reatum culpæ, & semper omnes culpas ad quarum remissionem est homo dispositus, nec diuidat remissionem condonando vnā culpam, & retinendo aliam, si ad vtriusque remissionem est æquè dispositus homo. Hæc autem dispositio sufficiens est attritio cum Sacramento, vel contritio extra Sacramentum: de attritione verò extra Sacramentum dici potest, quod nõ quælibet attritio sit sufficiens dispositio congrua ex lege Dei ad remissionem cuiuslibet culpæ; sed pro maiori culpæ gravitate exigitur attritio perfectior, sive in intentione, sive in alia perfectione. Vnde posita attritione minus perfecta remittuntur omnia peccata venialia, ad quorū singulorum remissionem sufficienter disponit illa attritio, non tamē illa, quæ ad sui remissionem exigebant meliorem attritionem vel alia penitentia & satisfactionis opera propter maiorem gravitatem, quam habent: ita vt nunquam posita dispositione proportionata, dimidiatur remissio, sed semper deleatur totus reatus, &

omnes culpæ, quarum gravitas habet proportionem cum tali genere dispositionis. Hoc autem non dicitur voluntariè, sed propter fundamenta illarum sententiarum, quarum altera dicit, peccatum veniale non remitti per attritionem extra Sacramentum, quia alioquin non tollerentur vniquam per absolutionem, nisi per accedens simul cum peccato mortali: altera verò dicit remitti etiam per attritionem extra Sacramentum quæ sententia habet etiam sua fundamenta vt ibi videbimus, & conciliari possunt modo supra explicato, qui cum possibilis sit, non est cur negetur, si vitæ sufficienter inconuenientia vtriusque sententia: quod magis in prædicto loco explicabitur.

SECTIO III.

Utrum contritio sit forma sanctificans formaliter? Sententia affirmans, & eius fundamenta.

Non loquimur de actu attritionis quantumcumque perfectæ, de hac enim omnes fatentur: non habere ex se vim ad tollendum peccatum mortale, licet ex gratia Dei possit disponere vnā cum Sacramento ad iustificationem. Quæstio ergo est de contritione, de qua item non querimus, an per modum dispositionis habeat ex lege Dei hanc efficaciam: hoc enim ad minus admittunt omnes: dubitatur autem, an ex se, & per modum formæ habeat vim iustificandi hominem, & delendi peccata: ita vt licet contritio non infunderetur gratia habitualis, adhuc per ipsam contritionem intelligeretur iam iustus, & sanctus, & mundus à culpa habituali propter excellentiam intrinsecam ipsius actus. Quod idem queritur de actu dilectionis Dei super omnia, eadem enim est ratio de vtroque actu.

Huic controuersia materiam, & vires dedit P. Vasquez, qui partem affirmantem maximè fouit & dilectionis Dei efficaciam summopere voluit commendare, nam *tom. 2. in 1. 2. disp. 203.* acerrimè defendit, licet de facto verius sit, hominem non per contritionem, sed per habitum gratiæ iustificari; de possibili tamen posse per solam contritionem iustificari; imò probabile esse, quod de facto per contritionem etiam iustificetur. In quo puncto suspicer ab ipso, vel ab iis qui illum totum ediderunt aliquid de propria sententia dissimulatum esse, nec voluisse illius mentem omnino exprimere, cum reuera magis propenderet ad affirmandum, de facto etiam per contritionem formaliter iustificari, argumenta enim quibus probauit, id esse probabile ita proposuit, vt ea insoluta reliquerit, cum tamen vel nihil probet, vel ab ipso etiam deberent dissolui, & *3. part. tom. 1. disp. 2. c. 6. n. 6. 2.* expressè dixit, in adulto qui iustificatur extra Sacramentum, magis certum esse eum iustificari per contritionem tanquam per formam, quam per gratiam habitalem vt ostendimus, (inquit,) *1. 2. disp. 203.* non ergo loquebatur solum de possibili, in *1. 2.* sed de facto affirmabat, verius esse ita fieri; quod tamen quia durum videbatur, temperate tunc voluerunt vel ipse, vel qui eius opera emulgarunt.

Pro hac sententia congerit plures Auctores, sed vno, vel altero exceptis qui obscure loquuntur, cæteri parum fauent. Post ipsam verò Vasquez non pauci recentiores in manuscriptis ipsi adhæserunt, asserentes, contritionem saltem ex natura rei iustificare posse, licet de potentia absoluta possit non expellere peccatum. In quo fortasse minus con-

93
Queritur an
ex se & per
modum formæ
Contritio
iustificet &
deleat pec-
cata.

94

95